

pondus igitur asinæ matris erit 5: at si é 3 numero asellæ 1 addideris ad 5. totus 6 esset, non duplus reliqui 2, sed triplus. Conjectura igitur prima superat 2. Adnotetur igitur cum signo †. Tum veró divinato asellæ numerum fuisse 6, duplum antea falso conjecti 3: 1 assumpto totus erit 7. Itaque numerus matris erat 8: at si 1 ad 8 addatur, totus 9 non est duplus reliqui 5, sed 1 deficient: adnotetur igitur & hæc falsa hypothesis altera. Denique artem falsi exequere, totum exemplum sic erit.

$$\begin{array}{r}
 3 \quad \dagger \quad 2 \\
 6 \text{ --- } 1 \\
 \hline
 3 \\
 12 \\
 \hline
 15 \quad (5. \\
 3
 \end{array}$$

Et 5 erit numerus asellæ, cui si unitas addatur detracta numero matris, totus erit 6: numerus itaque matris erit 7. Atque hæc ars est falsi conficta ab arithmetico aliquo, logicorum Aristotelis dogmatum videlicet æmulo: ut enim Aristoteles in logica docuit ex falsis verum syllogismo posse concludi, sic in arithmetis Arithmeticæ hujus inventor invenit quomodo ex falsis verum colligeretur. Sed generis hujus exempla, quæ per falsas hypotheses explicantur, per arithmeticam verã possunt explicari: & quicquid hic est, præterea ex algebra est: de qua dicetur suo tempore.

PETRI RAMI SCHOLARUM MATHEMATICARUM LIB. VI. IN DEFINITIONES PRIMI LIB. EUCLIDEI.



LIBRI quartus & quintus mathematicarum scholarum in nostrã arithmetica adhuc fuerunt, reliqui libri erunt in elementorum Euclidis & Hypsiclis libros, sed pro subjecto argumento dissimiliter amplificati vel contracti: sextus itaque erit in definitiones primi libri. Geometria igitur definita nobis est ars bene metiendi, qua generali significatione a Platone definitur 7. de republ. μετρητικὴ μήκος καὶ ὀπίπτετα, καὶ βάθος. tanquam diceret mensurativa longitudinis & planiciei, & altitudinis. Sed veritas ista commodissimè dijudicari potest inductione σοιχηώσεως & institutionis geometricæ, si à primo geometricorum librorum elemento ad ultimũ subducas. Comperties enim omnia ad unũ bene metiendi finem referri. Congruentia prima mensura erit applicata metiendis magnitudinibus, tum similitudo triangulorũ ad lineas metiendum: deinde quadrangulum rectangulum mensura erit & sui & trianguli, & reliquorum rectilineorum: imò verò etiam circulorum & circularium sectionũ: in